



## The Holy See

---

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE **VIGET SALUBRITER\*** SANCTUS PAULUS APOSTOLUS  
DECLARATUR CAELESTIS PATRONUS  
LAICORUM APOSTOLATUS, QUI «CURSILLOS DE CRISTIANIDAD» APPELLATUR. Ad perpetuam rei memoriam. —  
Viget salubriter in Hispania aliisque in regionibus apostolicum inceptum, id est disciplina christianitatis, eo pertinens, ut  
laici vitam spiritualem, divina amante gratia, colant, Christum eiusque doctrinam penitus cognoscant, ad fontem  
supernum Sacramentorum crebro accedant, saluti alienae studeant, sacrum ministerium obeuntibus adiutricem operam  
praebeant. Hisce ex acroasibus de re christiana, quae, «Cursillos de Cristianidad» vulgo appellatae, magnum numerum  
fidelium complectuntur, fructus uberrimi sunt percepti: domesticus convictus sancte et ad divinae legis praecepta  
instauratus, paroeciae nova virium impulsione provectae, munera privata et publica fideliter et e conscientiae officio  
impleta; quam ob rem Episcopi aliquae animorum pastores gaudio summo profunduntur. Neque praetermittendum  
agmina eorum, qui sub Christi vexillis in sodalitate ab Actione Catholica militant, additis novis copiis eorum, qui  
huiusmodi christianam disciplinam sequuntur, laeta accepisse incrementa et plures eorundem ad sacerdotium  
contendisse vel, abstractos a saeculo, Deo in religiosa familia se devovisse, Hi vero omnes exemplum, quod imitentur,  
praesidium, cui se credant, habent Sanctum Paulum Apostolum, cuius adventus in Hispaniam undevicies saecularis  
memoria in praesenti celebratur; ad quae sollemnia agenda huiusmodi sodales christianitatis studiosi praeclaram operam  
contulerunt. Quorum e sententia et nomine Episcoporum ac suo, *Dilectus Filius Noster Beniaminus Sanctae*  
*Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis de Arriba y Castro, Archiepiscopus Tarragonensis, Nos*  
rogavit, ut Doctorem gentium praedictae apostolatus laicorum rationis caelestem Patronum  
renuntiaremus. Quibus precibus perlibenter obsecundantes, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis  
consulto, certa scientia ae matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine,  
harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatum Paulum Apostolum caelestem apud Deum  
*Patronum* laicorum apostolatus seu christianitatis disciplinae, quae vulgo «Cursillos de  
Cristianidad» appellatur, facimus, constituimus, declaramus, omnibus adiectis honoribus ac  
privilegiis liturgicis titulo huiusmodi rite competentibus. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec  
edicimus, statuimns, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter ex  
stare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos  
spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite indicandum  
esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis,  
auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum,*  
*sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Decembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

\*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 8, pp. 524-525

© Copyright 1963 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana